

mans; *caulibus* flexuosis, angulatis, striatis, 30 – 40 cm. longis, basi foliorum marcidorum vaginis arcte cinctis, superne alterne breviter ramosis; *foliis* tripinnatisectis, laciniis linearibus saepius 1 – 1 $\frac{1}{4}$ cm. longis, sed aliquando elongatis, 2 – 3 cm., apice brevissime mucronulatis.

Umbellae in ramorum apice singulae, 5 – 15 radiatae, radiis angulatis, rigidis, hirsutis, in fructu divaricatis aut reflexis; *involuturo* involucrellisque polyphyllis, phyllis ovato-lanceolatis lanceolatisve, hirsutis, viridibus, vix marginatis; *petalis* albo-lacteis, hirsutissimis, *stylis* demum reflexis, stylopodio vix longioribus. *Fructus* hirsuti characteres indicare nolo, quia nimis immaturi.

Species certissime nova, quam, observantia versus amicum doctissimum motus, ut generi *Athamantae* adscribendam accipio, quamvis fructus nimium juveniles iudicium certum de genere prohibeant, et habitus potius ad *Seseli* spectat, foliis illis *S. polyphyllae* Ten. simillimis.

Die 23 Junio 1926, comitante botanophilo gallico Emile JAHANDIEZ, legi in rupibus calcareis faucis montanae «Barranco del Castillejo» dictae, ex adverso oppidi Orgiva in regione «Las Alpujarras» Baeticae, altitudine c. 700 m.

3. ***Crepis asturica*** Lacaíta et Pau, sp. nov. Perennis, glabra. 3 - multicaulis, caespites densos in rupium fissuris formans, rhizomate lignoso foliorum marcidorum petiolis reflexis arcte vaginato. *Caulis* erectus, 15 – 30 cm. altus, robustus, fistulosus, valde angulato-sulcatus, a basi vel saltem infra medium parce divaricato-ramosus, non nisi ad ramorum ortum foliatus. *Folia* basilaria oblanceolata, runcinato vel sinuato-dentata in petiolum basi discolorem valde dilatatum et vaginantem, ibique, c. 5 mm. latum et mox coriaceum, attenuata; caulina quae adsunt multo minora, integra aut etiam runcinato-dentata.

Calathia ampla, in ramis superne parce squamatis et sub calathio nonnihil constrictis solitaria; anthodii circa 1 $\frac{1}{2}$ cm. longi squamae exteriores ovatae, patulae, interioribus lanceolatis adpressis duplo breviores, omnes obtusae, parum furfuraceae; margine pallidiore fimbriis albis fimbriato-ciliato. *Corollae* sulphureo-flavae, discum 4 – 4 $\frac{1}{2}$ cm. latum formantes. *Achenia* tenuiter costata, rufescentia, illis *C. albidae* haud absimilia.

Species insignis, ex grege *Crepidis albidae*, sed ab illa – saltem a forma gallica et italica – satis diversa.

Vidi copiosissimam in rupibus calcareis inter Onis et Carreña et etiam in faucibus fluminis Deva, regionis Asturicae orientalis, juxta limites Cantabriae, die 16 Junio 1925. Amicus STEPHENSON, botanophilus anglus, mense Junio 1926 prope Llanes copiosam vidit et hoc demum anno 1927 in multis aliis locis circa montes Peñas de Europa dictos notavi.

Mirum est nec LERESCHE et LEVIER, nec botanici alii qui fauces praefatas perlustraverunt, de planta tam memorabili mentionem fecisse; forsitan pro *C. albida* Vill. habuerunt.

4. **Echium asturicum**, sp. nov., *E. vulgari* affine, sed ex radice perenni multicaule, saepe caespitosum, caulibus adscendentibus foliosis, centrali in plantis junioribus plerumque ad rosulam foliiferam reducto, serius, praecipue in plantis vegetioribus, florifero sed lateralibus brevioribus et minus evoluto, nec illos ut in *E. vulgari* superante. *Indumentum* in caule conspicue duplex, setis nempe albis rigidis inter hirsutiem subadpressam patentibus, in foliis vero subuniforme, setis in varietatibus A et B mollibus, et tuberculis, in var. C nonnullis in tuberculo albo insidentibus et inter caeteras debiliores, sed ejusdem structurae, prominentibus. *Folia* late lanceolata aut oblongo-lanceolata, obtusiuscula, forma (non indumento) illis *E. vulgari* typici similia. *Spicae* ut in illo saepius in thyrsum dispositae, sub anthesi brevissimae, serius plus minus elongatae. *Flores* ut in *E. vulgari* staminibus longe exsertis, filamentis glabris, magnitudine, ut frequenter in genere, valde variabiles. Color laete caeruleus, rarius roseus in vivo, exsiccatione vero item caeruleus. *Nuculae* parvae, fulvae, scrobiculatae.

Habitat frequens in Asturia orientali, circa montes «Peñas de Europa» dictos, a planitie in regionem montanam adscendens et prope Covadonga tipice ac copiose proveniens; in tractu Asturiae magis occidentali deesse videtur; in Cantabria – si var. C. revera ad speciem spectat – hucusque non nisi prope Lare doocurrit.

Var. B. *orophilum*, corollis majoribus, foliis propter setas mollissimas tactu fere sericeis, in jugis elatioribus caespites compactos pulcherrimos formans, in convalle qua ad Peña Santa de Enol itur copiose occurrit.